

1928 N. 514
2,33
35
QVAESTIO MORALIS:

VTRVM PROVO-
CATIO MAGISTRA-
TVS AD SVMMVM IVDICEM: *Deum;*
PRO CRIMINE HABENDA,

QVAM,
RECTORE ACADEMIAE

MAGNIFICENTISSIMO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX.

HEREDE, &c. &c. &c.

PRAESES

M. IO. GODOFR. BRESLERVS,

Terptovia Lufatus

RESPONDENTE

CHRISTOPH. GABRIELE FABRICIO,

Forsta Luf.

Eruditorum examini subiiciet

D. 24. Maii Anno 1704.

H. L. Q. C.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA HAKIANA.

1704

Sum:

RECTOR ACADEMIAE

MAGISTER

FRANCO AUSTRIACO

FRANCO AUSTRIACO

FRANCO AUSTRIACO

FRANCO AUSTRIACO

FRANCO AUSTRIACO

FRANCO AUSTRIACO

MUltum commodi pariter atque iucundi illa parit
 quaestio, quae inter verbi divini agitur Ministros:
Liceatne precando aliorum mortem ac in fortuna promo-
vere? quam iam olim aetate Augustini excitatam
 legimus. [a] Eandem sciscitanti facessere negotium, quis non de
 prehendit? quandoquidem duplex ad dubium ea viam sternit,
 quorum prius: *Utrum orando quis peccare possit?* posterius: *Num hoc*
paſſo peccantes DEUS exaudiat? At, ut Theologica Theologis
 concilianda relinquamus, confidenter hic loci confirmamus,
 non parum intercedere cognationis inter praedictas quaestio-
 nes cum nostra in rubro apposita: *Num scilicet Magistratus pro-*
vocatio ad Summum Iudicem DEUM pro crimine habenda sit? de qua,
 cum animum induxerimus, exercitii causa nonnihil monere,
 necessum erit, ut antequam rem ipsam expendamus, eandem
 iustis muniamus restrictionibus, ut in capite statim dissertatio-
 nis scopus appareat, ne, absolute thema explicaturi, alicubi im-
 pingamus. Deista igitur tantum provocatione nos acturos tra-
 dimus, quae a subdito tentatur a Magistratu capitali poena, sive iu-
 ste, sive iniuste damnato; ubi observetur, de industria nos ad servisse
 sive iuste sive iniuste damnato; malorum enim iudicum non appro-
 bamo iniustitiam & incuriam, ne Nerone crudeliores impe-
 rantes, *(quem cum de supplicio cuiusdam capite damnati ut ex more sub-*
scribeveret, admoneretur, dixisse legimus: Quam vellem nesciretiter as! (6)
 quicquam inde sibi praesidii, ob impii facinoris executionem
 polliceantur; sed huiuscemodi Magistratus suscipimus causam,
 qui officii habita ratione, de veritate quantum quidem licuit,
 sollicitus fuit, cumque expiscari eam non potuerit, etiam inscius
 inscium & innocentem damnat, adeoque non praekonceptis
 opinionibus, non inimicitia suffultus erga personam, sed cri-
 minis odio vindictam committit; de hoc inquam quaerimus,
 an coram tribunali Dei accusandus sit? Ceterum receptus ni dis-
 ferendi nos legis propemodum in iussit vim, supervacuum videri

A 2

[a] Aug. Lib. 1. de Serm. Dom. in monte.
 101. lib. 8. p. 256.

[6] Cluv. Epit. Hist. mundi

videri poterat, circa rationem dissertationis quicquam adducere, velis igitur contractis brevitati studebimus, ne in plures pagellas, quam par est, succrescat labor. Evolutione nominum occupati, ipsa vocum *Provocationis*, *Magistratus*, & *Summi Iudicis* evidentiae gratia tractationi praemittenda ἐξηγήσις; deinceps trimembris sequetur, provocationem illicitam esse, demonstratio, quarum prima ex dictamine rectae rationis, seu iuris naturae, altera ex aretologia, postrema demum ex politicorum praeceptis eruta erit, verbo: Omnis promanabit demonstratio partim ex scientia noetica, seu congenita, partim dianoetica, seu deductis inde principiis, quod monendum erat. Quod superest, Dei auxilium, Benevoli autem Lectoris favorem imploramus.

Thef. I.

Nominum, iure, evolutione nostram ordimur dissertationem, remissam subiungentes, praecedente nobis Philosopho: εἰς τὸ δὲ θεὸς διδάσκειν θεὸν πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα; namque haec duo necessaria illa sunt, quae ad veritatis cognitionem ut plurimum faciunt, ut pulchre Clemens Alex: (a) δύο εἰσι νῦν δὲ τῆς ἀληθείας τὰ τι ὀνόματα καὶ τὰ πράγματα.

Thef. II.

Circa vocabulum *provocationis* tum Etymologia notanda, tum Homonymia, tum Synonymia. Etymologiam nulla laborare difficultate facile patet, atque vi vocis nil aliud notat, ac Germanorum verba, *herfür ruffen / auffordern*. Homonymia altioris videtur indaginis, ob peramplam, qua gaudet, significationem. Etenim, norunt Theologi provocationem, norunt Icti, norunt denique Politici: Ea siquidem Theologis non inusitata, quando a iustitia Dei ad eius misericordiam, a rigore legis ad meritum Christi provocandum tradunt, quam, cum vere mereque Theologica sit, iisdem permittimus. Et quem provocatio Ictorum praeterit ab inferiore iudice ad superiorem, a Magistratu ad Magistratum, donec, cum ad supremum perventum sit, ulterius appellare non datur, qualis nuper inter Germanos Camera Spirensis locus habebatur, ad quem omnia ultimato deferrebantur. Postremum provocationis genus accedentes, quod
Politi-

(a) Clem. Alex. Lib. 6. Strom.

Politicum appellamus, multifariam accipi solet: Nunc enim provocationem aut impulsum ad evacuanda vasa denorat, qualis maxime datur, cum in aliorum salutem pocula circumferuntur, qua de re alii. [b] Nunc significare dicitur idem, ac ab iniuria affecto ad mo nomachiam provocari, de quibus plura cupiens citatos (c) adeat; quas tamen vocis acceptiones heterogeneas nuncupamus. Superest, brevibus ut attingamus Synonymiam, qua iam appellationis, iam citationis, iam compellationis nomine venit; Graeci pervenuste per $\epsilon\pi\kappa\alpha\lambda\lambda\eta\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$ (d) $\epsilon\kappa\kappa\alpha\lambda\lambda\eta\iota\sigma\tau\omicron\varsigma$, $\epsilon\phi\epsilon\rho\epsilon\upsilon\alpha\iota$ τὸ δικαστήριον, exprimunt. (e)

Thef. III.

Sequitur, ut de nomine *Magistratus*, quantum quidem usus poscit, mentionem iniciamus: Notatu prae ceteris digna tum vocis origo, tum ambiguitas. Primam suppeditat *Summe Rev. atque Magnificus Dn. D. Deut[schmann], Patronus noster atque Praeceptor ad ur[bi]am colendus*, (f) quem audire iuvat: *Magistratus* vox deducitur secundum quosdam a nomine *Magistro*, dum *Magistratus* sunt relictorum civium in Republ. *Magistri*, secundum alios a verbo *magistrando*, quod antiquis fuit in usu, & significat regere vel moderari, cum *magistratus* sint rectores & moderatores populi; cuius nobis auctoritas heic sufficiat. Alteram quod concernit, pluribus heic explicandam ducimus; dantur crudelissimi *Neronis*, faevissimi *Romanorum Lycaonici*, (g) sanguinis insatiabili desiderio flagrantium, ad instar infantes, queis oculi rubentes, sicci, animosi, & in iram veloces; illos tamen *Magistratus* nomine non indignos, cum tyrannum quoque a Numine in *Magistratum* concessum sciamus, manifestis Scripturae oraculis innitentes renunciamus (h) Quandoque *Magistratus* nomen pro omni *ἐξουσία* habente sumitur; annotante *Ziglero*. (i) Dantur iniustissimi iniquissimique Iudices, de quibus *Marcus Aurel.* conqueritur. (k) Dantur in causis exami-

A 3

nandis

(b) *Quistorp. in pecul. exercit. Dilber. Dial. 2. Phil. p. 140. seqq.* (c) *Grot. de iure B. & P. l. 2. c. 1. §. 15. Zigl. Diss. de Bello §. 17.* (d) *Aët. 25, 11. it. 26. 32.* (e) *Demosth.* (f) *Synopsi Theol. Bibl. parte 2. Diss. 22. §. 8. p. 170.* (g) *B. Dn. D. Calov. Syst. Tom. 8. Art. 5. p. 590.* (h) *Anton. de Guev. a Horol. Princ. lib. 3. c. 10.* (i) *Rom. 13, 1, 2. Dn. D. Deutschm. Theol. Post. Polem. p. 162.* (j) *Iur. Mai. l. 1. c. 1. §. 6.* (k) *Horol. Princ. n. 463.*

nandis inconsiderati, dantur avari, aliorum substantiis intense
 inhiantes *Achabi*, dantur, quibus nimia etiam clementia vicio
 vertitur, quod in *Constantino M.* observat *Eusebius*, [l] & id genus
 alii. Hos omnes Magistratus nomine non indigitamus, quoniam
 titulum, splendidum alioqui, vitis conspurcant. Eos
 unice intellectos volumus, qui & iustitia, & misericordia ducti,
 cum *Tito Imp.* neminem a conspectu Imperantis tristem abire oportere,
 arbitrantur: Hinc creditum officii munus laeti exsequuntur, se-
 que non modo regnantes, sed etiam Christianos recordantur,
 quibus praedictas virtutes pessundare religioni est, poenam in-
 de, ubi licet, mitigant, vel plane remittunt, quando iustitia perse-
 quitur culpam, non desinit misericordia, quae modeste novit tenuare vin-
 dictam: [m] Norunt enim, ius & aequitatem vincula esse Reip. [n]
 Quare subditorum amorem aucupari laborant, quod verbis saepe
 iucundis efficiunt, ut concinne iterum *Senfflebenius*: (o) *Verba*
suaavia insalibile sunt pretium, quo emitur benevolentia subditorum,
nimum avarus est, cui tam levi pretio difficile est, corda mercari. Hos
 suae spartae strenue invigilantes edisserimus, qui praeter iniuriam
 nil metuunt, illo permoti: *Pietate & Iustitia*, & sic ponunt per-
 sonam amici, ac iudicis induunt. [p] Hos Magistratus vocabulo
 defendimus, qui superbiae, avaritiaeque repudium mittentes,
 diu censent deliberandum, quod semel, maxime in capitibus, sit atendum,
 ne momentorum defectus istos iniustitiae patratae incuset: [*Pal-*
marium iudicis est officium, sufficientibus instructum esse rationibus, ne ini-
uriam iis faciat, quos iudicat.] (q) Quo quippe fonte sanguinis
 innocentis infinitae destillant profusiones, promanant iniusta
 iudicia, huic provocatio, qua de nobis sermo, ortum suum debet.
 Animus tunc Imperantis non nisi vana habendi pascitur libidine,
 manus ad expilationes sunt proclives, innocentum interea causis
 sepositis, sanguinem ut aquam profundunt, quod certe vix fu-
 turum crediderim, si illud *Senecae* attenderent:

Sanguis-

(l) *Lib. 4. de Vita Constant. M. cap. 31.* (m) *Fulgent. Ep. 1.* (n) *Pater*
Senffleben e Soc. Iesu, Autum. Philos. theorem. 47. fructu 47. p. 178. (o) *Id.*
Phil. mor. tit. 3. §. 6. p. 106. (p) *Cic. Offic. lib. 3.* [q] *Hernici Phil. Pract.*
p. 627.

intense
tia vicio
d genus
uoniam
Eos
ia ducti,
oporere,
ntur, se-
dantur,
nam in-
a perfe-
are vin-
cip. [n]
bis fac-
o) Verba
litorum,
Hos
er iniu-
nt per-
ocabulo
tentes,
endum,
t: [Pal-
r, ne in-
guinis
iniusta
debet
idine,
causis
ix fu-
angui-
Pater
(o)ld.
Pract.

--- *Sanguine humano abstine,*
Quicumque r. gnas, scelera taxantur modo
Majore vestra (r)

At, quid in describendo officio genuini Magistratus multum de-
fundamus, elegantem ex *Ant: de Guevarra* repetamus. [Magistra-
tus] *habet oculos, quibus miseros & calamitosos intueatur, habet pedes,*
quibus conciones auditurus aedes adeat sacras, habet manus, quibus
omnes iuuet, habet linguam, qua orphanis parocimetur, habet animum,
quo DEOS diligit, denique intelligentiam ad cognoscendum malum,
& prudentiam ad amplectendum bonum, (f) & alibi: Iudices infen-
tentis iusti, in verbis circumspici sint [r] Plura de argumento
allato desiderans conferat Puffendorffium [u] Ziglerum [x]

Th. IV.

Cum circa Magistratus nomen, exigente id necessitate, pau-
lo fusiore fuerimus, succincte demonstrandum restat, quem
Summi Iudicis elogio complectamur, nempe, non supremæ po-
testatis his in terris personam, qualem Th: 3. delineavimus,
sed illum incorruptum Iudicem, quem ab omni errore concors Christia-
norum coetus novit liberrimum, sanctissimum, potentissimum, ad hunc,
num provocatio Magistratus sit concessa, ita quidem, ut infucata m-
plius imploret morti proximus violente, iustitiam, velit susceptam a Ma-
gistratu suppressionem ulcisci, eundemque, ut anno, die, hora, determi-
natis, compareat, ad reddendam rationem rapere, cardo rei vertitur.
Movemus adhuc duas non contemnendas quaestiones, prae-
cognitu necessarias, peritiles: [1] *Utrum huiusmodi provocaciones*
DEUS exaudiat? (2) Sin minus, quo fundamento reus peccare dicatur?
Ad priorem Resp: neganda, & cum nostrum non sit, prolixas
addere rationes, B. L. ad B. D. *Quaestorium* remittimus [y] Ad
posteriorem in antecessum sic respondemus, ut sensus sit, *quam-*
vis capitali poena damnatus provocatum non interficiat, ipsius tamen
voluntas in eodem censu veniat. At dicis? numne moralitas actionis
seu voluntas interficiendi ad factum quidquam confert? Imo
vero.

[r] *Seneca Herc. Fur. v. 745.* [f] *Horol. Princ. lib. 3. c. 9. n. 482.* [t] *lib.*
3. cap. 4. n. 474. [u] *de Offic. Hom. & Civ. lib. 2. c. 18. § 10. p. 303.* (x)
Iure Mai. passim. (y) *Disp. Num. prov. ad Sum. Iud. in vallem lo-*
saphat sit concessa? §. 27.

vero, ~~et non considerati~~, doctrina, adfert ratio patet. Recitabo hunc in finem comoda Horneii verba: Sicut alias, qui animo occidendi quemquam verberat, occidisse censetur, licet revera vitam et non ademerit, causa est, quia formalis ratio actionis moralis ab electione & voluntate dependeat. (2) Manifestum inde, voluntatem ad actionis moralitatem utramque facere paginam. Reliqua dissertationis progressus dabit.

Th. V.

neget Christiani vim iuris naturalis, Ethnici ceu pro aris & focis pro eadem pugnant, neget Spinoza, neget Carneades, [a] neget infiniti alii, confirmat Plato, confirmat Pareus Philosophorum, confirmat Tullius, confirmat denique Senatus Philosophorum, ~~et loquitur~~ *ἐπι τοῦ ἐπι τοῦ τῆσι*. Hinc confestim, cum nostrum non sit perfunctorie tantum de eodem disquirere, promissae methodo inhaesuri, demonstrationem, in quantum instituto inserviet ius naturae, ex eius principiis pariter atque conclusionibus depromamus. Est autem hoc, definientibus nobis philosophis [b] nihil aliud, quam notitia certa principiorum practicorum & conclusionum inde, ~~exstructarum~~ *divinitus nobis instra*, ut monstret discrimen honestorum & turpium: Hauriamus propterea & nos ex hoc ~~ταμίω~~ principiorum eorundemque conclusionum firmam theos deductionem, quo primo oculos intuitu feriat, quid natura in praesenti quaesito concedat. Scopum felicissime nos inventuros arbitramur, quod si triplici objecto, cui naturae vi perfecta obligatione devincimur, DEO nempe, *erga quem ἐστὶ βῶε* [c] proximo, *erga quem δικαιοσύνη*, & nobismet ipsis, *ὅπου πρὸς τὸν θεὸν* vivendum, certa eruamus principia, quae ultro evincunt, quales [a] erga DEUM (β) Proximum [γ] nos ipsos I. N. nos esse velit. De cultu erga DEUM praestando agat

Th. VI.

Obiectum legis naturalis personale primum ipse Deus perhibetur, quem colendum, cuius praeceptis obediendum,

(2) Phil. Mor. lib. 3. c. 10. p. 420. (a) Vitriar. Inst. Iur. N. & G. a L. Budaeo editis cap. 1. p. 6. §. 15. (b) Goclenius Disp. Eth. Disp. 20. p. 155. §. 4. (c) Tit. 2. v. 12. vid. insuper. B. Calovii Theol. Post. scil. 5. c. 1. p. 534. §. 1070. seqq.

quem creat rem agnoscendum, quem iniusti facinoris vindicem conlaudandum, radius divinae iustitiae mente lucens dicitur. Multis hic annotare, dictamen sibi quid velit, praesens non sibi fuit labor: Summa vero procul dubio huc redit: *nihil faciendum, nihil loquendum, quod cum honore, iussu, & amore DEI aut directe aut indirecte pugnat, ut erudite L. Buddeus, [a] sive, tenetur homo autorem sui agnoscere, colere, & ipsius opera admirari, ac plane diversa ratione a brutis vitam exigere. [e].* At quis DEUM diligere eum dixerit, quis ad Numinis praescriptum eum se componere affirmaverit, qui praecepto de nemine laedendo, de superiore honorando, morem gerere abnuit, erga proximum simul atque Magistratum, sui non compos, bestiarum more fremit, diris devovet, ac terribilium terribilissimum ei imprecatur. Instas, praeceptum de sui conservatione, tam profunde animantibus etiam ratione destitutis inditum, ut vitam vel ad extremum halitum tueri allaborent, quare igitur homini interdicitum esset? Verum, quod discrimen inter hominem, cuius menti lumen divinitus concessum, cuius ope coniectu facillimum, quid moraliter bonum nominandum sit, & inter sibi relictam bestiam, cui praeter coecum naturae impetum plane nihil remansit? Ita concludens, a baculo ad angulum argumentatur.

Thef. VII.

Progrediamur ad obiectum personale secundarium, proximum dico. Considerabimus eundem duplici respectu, ut personam scilicet publ. ad clavem Reip. tenendam constitutam, dein, ut subditum: illos regentes, hos obedientes iure meritoque dixers.

Thef. VIII.

Omnium universalissimum, & in vita communi utilissimum, novi, praeceptum, *socialiter esse vivendum*: Quod nonnulli fundamentum universi I. N. voluere. Ambitu namque suo singulos complectitur homines: Socialitate enim remota, calamitosa mortalium conditio, brutorum vita, quibus herbas, ac sustentationem natura suppeditat, quae homini a socio expectanda veniunt. Idcirco praeter securitatem communem unica

B

focia-

(a) Elem. Phil. Pract. parte 2. c. 8, §. 15. p. 269. (e) Puffend. de Off. Hom. & Civ. lib. 2, c. 1. §. 3. p. 193.

socialitatis necessitas vitae civilis causa censetur, ut adeo tam in se, quam in alios peccare censetur, qui conversationem dirumpit, aut sponte corpore sese abdicat, dum officia reliquis denegat, ac ex adverso mala in eosdem molitur, cum natura ipsa inter homines socialitatem esse voluerit, cuius vi fas sit aliorum commodis sese disponere. (f) Peccat multo gravius, qui membro principali privat, absque quo facta tecta que Resp. consistere nequit, corporis ad instar naturalis, quod, sublato membro principali, ruinam minatur: Est quippe civitas persona moralis composita, cuius voluntas ex plurium partibus implicita & unita pro voluntate omnium habetur; [g] hocce corpus adventitium absque capite, rectore & gubernatore, consistere posse, in rari aduocato iudico. Positis iis, apparet, quam inopiatur, quam iniustus sit, qui Magistratum in medio tollens, Remp. quod universalitate obligationis in proximum cum praecedente pari passu ambulat, enodare supersedeo, cum nemini non satis cognitum, quantum ille proximo sit obligatus, qui non tantum quovis modo eius saluti invigilare, sed etiam pro eodem vota nuncupare debet. (h) Iam vero nemo facile, huc usque dictis eductus, inficias ibit, iniusta provocatione singulos cives non modo bonis fortunae, sed omni quoque salute civili exui, & Magistratum praesertim laedi, quod in solis mensa appositum, etiam si Theologi quinti praecipi explicationem non urgeant, quando & mente homicidium committi tradunt. Id unice nobis inferiens addimus, hoc salvo principio, provocationem e Rep. proferribendam esse. Quid multis? ipse iniquus de iniquitate tua vivum edis testimonium; nostri, proximum non esse laedendum, ne ipse laedaris; quam obrem inferens: *Quod tibi non vis fieri alteri ne faceris*, age, addam Minorem: *Tu certe mortis aedio ductus Magistratum ceu iniustum accusas, ac eius obitum quaeris; ergo absque vicia malitiaque, Superioris mortem non efflagitas.*

Thef. IX.

Officiorum mentionem faciamus, quae natura ductrice Magistratum nos debere intelligimus, ortarumque exitium concludior.

(f) Puffend. de Off. Hom. & Civ. lib. 2, c. 1, §. 11, p. 206. (g) Id. lib. 2, c. 1, §. 10, p. 245. (h) Quenstedtius Diss. cit. §. 8.

clufionum. Opus foret, nichartae excluderemur anguftia, Magiftratus & perfonam, & poteftatem delineare, fubditorumque, quod ad eum attinet, munia. At, de neceffariis faltem folliciti erimus, quae fcopium propius attingunt. Placet prae ceteris fluens ex inde regula: *Superiores honora*, feu ut doctè *Dn. L. Buddeus*: *Ubiverfale iuris naturae principium eft, Imperanti parendum, eiusque mandatis obediendum.* (i) Perfèta hic loci datur obligatio, cum enim pacto quafi, nifi explicito, tacito tamen conventum fit, me omnem libertatem meam ad Magiftratus nutum compositurum, me omnem fortunae fubftantiam eidem fubiecturum eſſe, ipſum ſimul vitae & necis ius me concefſiſſe coniuicio; mentis ubi aciem adverto, huius me obligationis virtute non honore modo eundem maclare teneri, ſed omni etiam mandato velificari, *cum pro ſacrilegiis in iure noſtro habeantur, qui Principum conſtitutiones violant & contemnunt.* (k) Quem ergo in finem vindictam anxie anhelans, Magiftratum, cum ſcias, iuſte vi poteſtatis ſupereminentiſte damnate, tantopere furis? ſi innocens vitam cum morte commutas, illud perpendas, Magiftratum hominem natum, nihilque adeo humanum ab eo alienum, eiusque iudicio ac quieſcendum eſſe. Conveniebat igitur, alia, eaque licita ratione, innocentiam tuam cunctorum conſpectui exponere. Itane Superiores honoras, quod conſcientia propinat? numne hoc pacto a poena immunis eris? Mira ſane hiftoriae de populo *Nicaraguae* produnt, apud illos nullam fuiſſe ſtatutam poenam in eum, qui Regulum [Cacique ipſi vocant] occidiſſet, *quod nullus, aiant, ſi ſubditus, qui excogitare, aut patrare tam dirum facinus velit.* [l]

Theſ. X.

Exigit propoſitum, ut ad ea properemus, quae de officio in ſe ipſum natura dicitur. Obſervetur elogium ob id ſequens: *Fac ea, quae ad tui conſervationem faciunt* (m). Ut illud cum veritate conſentit, *caritatem a ſe ipſiſcipere*; ita & hoc verum, *quemvis conſervatione ſui adeo teneri, ut nullo intermiſſo negotio propriam ſemper reſpiciat felicitatem, hinc nihil homini optatius, carius nil, quam*

B 2

(r) *Elem. Phil. Praſt. Parte 2. cap. 6. p. 251.* (k) *Zigl. Jus Mai. lib. 1. cap. 5. §. 52. p. 142.* alique ibidem allegati (l) *Francisc. Lopez de Gomara Hiſt. Gen. Ind. Occid. c. 207.* (m) *Budd. loco cit. p. 251.*

ut ipse bene & beate vivat. [n] In quo autem, obsecro, isthaec sui conservatio consistit? utrum in cura indefessa, cibi indumentorumque causa suscepta? vix ac ne vix quidem adfererem, maiorem in animae colligo cultu atque sustentatione positam: (o) *Conservatio vitae praestantioris praefenda est conservatiioni minus praestantioris.* (p) Oblicies, numne natura de animae immortalitate, ceu praestantiori vita, aliquid revelat? quid ni? adeas Divinum Platonem, Ciceronem, Aristotelem (q) neque dubium supererit: Auro carior sententia Platonis est; neminem in hac vita beatum fieri, sed post mortem tantum. [r] Haec crassis tenebris coecutientes intellexere Gentiles, haec hodiernum saniorum Philosophorum floret sententia: Lectu dignum hac de re *Sensibileii* encomium animae; rationalis, inquit, anima aeternitatis filia, aeternitati condita, cum aeternitate peretabit, aeternitas ei addit pretium nulla praetiorum compensatione pensandum. [s] Quorum haec spectent, subodoratu facillimum, ut intelligas, maioris esse habendam animae, curam quam corporis, ut compareat, quam stolide illi agant, qui praevius affectibus indulgentes unam mellis stilam, vitam puto praesentem, cuius amore ad insaniam usque flagrant, animi beatitudini praefereunt. Non perfunctorie haec & talia ad spicias, nosti scilicet naturae beneficio, quid honestum, quid iustum, dicitur ratio, quid animae proficuum: Quam obrem age, fac ea, quae ad animae conservationem faciunt, sic implacabile odium in Magistratum depones.

Thef. XI.

Aggredimur alterum demonstrationis fontem, quam aeternitatem diximus, ex hoc non inidonea pervasionis momenta haufuri, provocationem illicitam esse, quanta fieri poterit brevitate, exequemur. Id in antecessum monendum, adducta de virtutibus non adeo strictim esse sumenda, ut non unum alterumve

(n) Io. Casus Spec. Quest. Mor: lib. 9. c. 4 p. 590. [o] Idem lib. 10. c. 3. p. 611. seqq. (p) Budd. Elem. Phil. Praet. Part. 2. cap. 9. p. 272. (q) Grotius Mechovius Phil. Paraen. lib. 1. c. 5. p. 17. seqq. Lael Br. sciol. in Hor. subsecris Tom. 2. lib. 9. cap. 20. p. 659. Acad. Gall. Perri dela Primaudaie c. 2. parte 1. p. 18. [r] Goel. Disp. Et b. XXXII. §. 16. p. 224. (s) Sensibil. Autumno Phil. Theor: 45. p. 167.

rumve virtutis a morum præceptoribus positum requisitum, nostræ demonstrationi obesse possit, cum non nisi generatim allatas virtutes examinare decreverimus.

Thef. XII.

Primum locum occupet *fortitudo*, cuius subiectum occupationis terribile est, & quidem omnium terribilissimum mors. Quod provocanti ad fortitudinem exercendam sufficientem offert occasionem: Requiritur hic *δύστρος*, quod naturam obitum metuentem confirmat, invitatque, ne desperet, sed sine delectatur iucundissimo, non moritura nominis fama, quam fortis tanquam voluptatem intendit. Et hoc imprimis est, quod actionem appellantis reddit vitiosam, hic hæret aqua, cum mortem suscepturus nullam præ timore fiduciam amplectatur, laudabilius esse, lætum discedere & innocentem, quam vitiiis contaminari iracundiae, vindictæ ac pusillanimitatis; splendidiorem denique fortitudinis speciem præ se ferre, seque ipsum vincere: *Fortior enim, qui se quam qui fortissima vincit*: Vel ut *Seneca*: *Bis vincit, qui se vincit*. Militibus hinc mercenariis similes, qui hostem invadenti castra relinquunt.

Thef. XIII.

En virtutem, quam heroico quodam spiritu *Gentiles* excolere, *mansuetudinem*, quos ad imitandum illis, quorum mentibus perniciofa iniuriarum memoria ad postremum spiritum viget, sistimus. *Photionis* insigne rument exemplum, qui ad curam condemnatus cum filium in hoc tam acerbo Patris casu illacrimantem videret, ad eum conversus dixit: *Mando tibi, ut oblitiscaris potus huius, mi fili, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo.* (t) Nolo multis extollere verba *Aeschinis*, ἢ κάλλιστον εἶναι, μὴ μνηστικαίς. (u) *Athenodorus* philosophus, rogatus ab *Augusto* *Caesare*, ut aliquod sibi monumentum relinqueret, hoc, inquit, relinquam *Caesar*, si contigerit Te irasci, nihil prius dixeris fecerisque, antequam viginti quatuor literas recitaveris. (x) Horum exemplis insiftere par est. Quid vero lucem soli addere laboro? quid virtutem in se satis claram deprædico, nulla enim omnium virtutum, verba sicut

B 3

Ioan-

(t) *Plutarchus* in *Photione*. (u) *Aesch.* *Oratione ad Athenienses*.

(x) *Cassius Spec. Quaest. Mor. lib. 4. c. 5. p. 272.*

Ioannis Casti (z) homines hominibus magis conciliat & devincit, quam mansuetudo, eiusque comes patientia. Neque, huiusmodi temere iniecta videbis, opposita enim iuxta se posita magis elucescunt, nullo nunc dispalescet labore, quam animus furore & ira effervescens absit a mansuetudinis ianua; huius est, iracundiam et odium cohibere, vindictam non appetere, raro admodum, iuste tamen irasci, illius est, vindictam ceu S. B. amplecti, ac alterius interitum velle, haec divinae virtutis titulum meretur, iracundia ex adverso ab insania non nisi temporis brevitate differt (a)

Thef. XIV.

De iustitia & universali & particulari non nihil hic differam. Ista cunctis, quae leges praecipunt obtemperare, & ad illos vitam componere solet, non virtutis species, sed ipsa virtus tota est, cum singulari sub ambitu suo complectatur virtutes: In unam proinde impingens virtutem, & hanc laedit, ut adeo pluribus, quomodo in eo peccetur, inculcare superseadam. Illa quid sit, cognosces ex recepta definitione: Qua homines ad iuste agendum idonei, ac res iustas agunt & volunt. (b) Quis patet, an iusti sint renunciandi, qui reclamante conscientia omnem & iuste agendi & volendi animum penitus extirpant, praecipis & naturae & civitatis praefractae obicem ponentes, pro morte temporali, ubi spes melioris vitae expectanda, cruciatus infinitos rependere nulli dubitant, quod commutativae iustitiae adversarium videtur.

Thef. XV.

Mitto, quae de animi temperantia alii multis: Describitur ea Studium adductum rectae rationis se conservandi. (c) Exultat igitur quivis coecus impetus, quando nescio quam vindictam contra rectae rationis ductum, ni manibus, voto tamen provocantes suscipiunt.

Thef. XVI.

Magnanimitatem potius, quae praecipientibus nobis Philosophis, duplex statuitur, [d] vel laxius vel strictius sumpta, per iustitiam, ita, ut illa doceat, quomodo homo cum secunda cum adversa se gerat
(z) Cap. 5. p. 271. (a) Senffrl. Aut. Phil. Theor. 45. p. 171. (b) Arist. Ethic. 5. c. 1. (c) Budd. Elem. Phil. Pract. Parte 2. cap. 9. p. 280. [d] Gocl. Diss. Eth. 21. p. 163. §. 43.

gerat fortuna, ut nec secundis rebus efferatur nec frangatur adversis;
haec commune virtutis dictae agnoscit obiectum, honores nempe magnos,
illa praecedat, haec sequatur, habet illa propterea obiectum uni-
versale multisque conveniens, atque splendor & ornamentum
virtutum omnium Aristoteli audit. [e] Consentit Casus, qui ean-
dem nuncupat ordinem decorum observantem in omni actione vitae. [f]
Nobis ad nostrum obtinendum finem sufficiat, attributa ma-
gnanimitatis interna recitalse: Quod rebus magnanimus dicatur
non efferri, secundis adversis non deprimi, non recordari iniurias &c. (g)
Allata igitur in gyrum rectae rationis ducens, videbit, quam lon-
ge aberret, qui adversis irruentibus desperans, coelum ad arma
provocat, ut sibi illatam iniuriam acerrime vindicet.

Thef. XVII.

Ni praescripti limites a praesenti nos avocarent negotio &
reliquis enarrandis virtutibus insistere non difficile foret: Ve-
rum, vel unicum a virtutibus depromptum testimonium peculia-
rem constituisset disputationem, nos ordinem servantes promissum,
ad Politicorum doctrinam pedem movemus, ex eadem, quan-
tum satis, selecturi.

Th. XVIII.

Legis civilis maximum esse utum, per magnam necessitatem,
aptis Politici vix satis verbis exprimere possunt. Lex naturalis,
cui civilis subordinatur, vix esset sufficiens reprimendae homi-
num malitiae; pro stabilienda mea sententia id addo: Quan-
quam natura praecipiat, ut ab omnibus iniuriis inferendis ho-
mines abstineant, eius tamen reverentia commotos homines id
praestare non videmus, ut in libertate naturali satis tuto degere
possint, necessario huic accedit quaedam dictaminis naturae ex-
positio, amplificatio, ut privatorum non tantum insecurem re-
digatur status, sed Magistratus etiam nomen a subditis sanctum
reputetur; accedit, quod finis status civilis, securitas nempe uni-
versalis nullo modo obtineri possit, nisi praecipis & legibus, qua-
rum beneficio mortalium malitia reprimitur, ut non tantum a
tentata focii laesione abstineant, sed & obsequium Magistratui
detrahere non audeant. Fiuunt inde argumenta de non laedendo,
nec

(e) Arist. 4. Eth. cap. 3. [f] Casus. Quaest. Mor. lib. 4. c. 4. p. 276.

Goel. disp. etib. 21. p. 163. §. 43.

nec verbis nec factis Magistratu (b) quae in se voluntatis Dei expositionem comprehendunt Israelitis iniuncta. (i) Suadent hinc legum Doctores Imperanti non esse resistendum, repugnare non debere subditis esse perditur, suam parum aequam & reip. convenientem iudicet legem, quae proposita (k) Personae & imperantis parcendum, nec rebellio, dum persona quaedam privata laeditur machinanda. [l] Vita potius ac salus imperantis praerenda propriae, [m] ipsis quin parentibus, Dignum Iob. Casi assertum; Iterum, inquit, site praesente pater & Magistratus simul periclitentur, petente utroque opem, quid faceres? Pater subsidium ab eo quaerit cui vitam dedit, si Magistratum nunc deserat, te patriae prodiorem, si patrem perire sinas, te monstrum naturae praestas. Sed adverte, patriae non patri obediendum censeo, est enim & tui, & omnium communis parens, huc usq; Oxoniensis. (o) Causam obligationis istius supra annotavimus; Salute tua periclitante reip. nil interest, cum privatus sis, cum Magistratu & tua & reip. ruit felicitas. Sub est alia obligationis ratio. Parentibus vitam, Magistratui & secure & bene vivendi rationem debes illos, natura dedit; hos summum in civitatibus regimen a Numine adeptos fatemur. Instanti, impietatem Magistratus legi quidquam derogare, negando Resp. Confirmat B. Megalander sententiam calculo suo, hec tyrannus, inquit, iniuste subditos interficiat, tamen obedientia eidem a subdito deneganda non est (p) verba omnino veritate gaudent, fidem merentur, non propter *Idcirco* sed Divinum propter consensum, imo ipsam rationem. Prominat ergo hactenus adductis: (a) vitam pro patriae salute deponendam (b) Magis nos Magistratui quam ipsis parentibus obligatos, (c) pie Imperantis nomen colendum esse, quae omnia omnino omnino provocationem proscribunt, neque citra conscientiae noxam alicui concedunt.

Thef. XIX

Reliquum est, ut definitionem huius provocationis coronidis loco subiungamus: Provocatio ad Iudicem summum est actio qua subditus capitali sententia damnatus Magistratum dum nullum his in terris refugium videt, ad supremum Iudicem DEUM certo definitoque comparandi tempore citat.

Gloria foli DEO.

(b) Vitriar. Inst. I. N. & Gent. lib. 1. c. 6. quaest. 6 (i) Exod. 22. p. 28. (k) Ziegler. Iure Mag. lib. 1. c. 5. p. 115. §. 11. & 12. p. 116. (l) Vitriar. l. c. (m) Puid. Elem. Phil. Pract. parte 2. c. 9. §. 13. p. 277 (n) Spec. Quaest. Mor. l. 9. c. 2. p. 557. (o) Som. 6. Op. Ien.

ULB Halle
001 507 230


3



7A-206

1077







1928 N 544

2,33
35

QVAESTIO MORALIS:
VTRVM PROVO-
CATIO MAGISTRA-
TVS ADSVMMVM IVDICEM:
PRO CRIMINE HABENDA,

QVAM,
RECTORE ACADEMIAE
MAGNIFICENTISSIMO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX.
HEREDE, &c. &c. &c.

PRAESES
M. IO. GODOFR. BRESLERS,
Terptovia Lufatus
RESPONDENTE
CHRISTOPH. GABRIELE FABRICIO,
Forsta Luf.

Eruditorum examini subiiciet

D. 24. Maii Anno 1704.
H. L. Q. C.

VITEMBERGAE, EX OFFICINA HAKIANA.

1704

